



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 14. Censura in Hispanam novi Testamenti versionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Eisenburgensis Colonienſis Archiepiſcopus acceperunt.

Sæcul. XVI.
A.C. 1574.

§. XIV.

*Censura in hispanam novi Testamenti
versionem.*

Circa Mensẽm Aprilem ejusdem anni
Parisiensis Curia ad Facultatem
Theologicam transmittēbat novi Testa-
menti interpretationem, quæ hispano
idiomate absque Auctoris, ac Typogra-
phi nomine vulgabatur, ex qua tamen
triginta, & una propositiones fuere de-
promptæ, atque in latinum idioma ver-
sæ ferme cunctæ ex Genevenſibus Bi-
bliis, atque Calvini schola mutuatæ
deprehendebantur, omnesque ad ever-
tenda piarum actionum merita tendere
censebantur: quapropter Facultas in
earum censura, quam tulit, ita pro-
nuntiabat. In propositione tertia dici-
tur: *Panis, qui est verum signum ad tan-
tam dignitatem perductus est, ut illum
corpus suum appellet: quare qui fide il-
lum recipit, Christum recipit cum omni-
bus ipsius donis ad sustentationem animæ
spiritalem:* hæc propositio, inquit cen-
sura, Calvini hæresin sapit, in quan-
tum realem Christi præsentiam negat.
Quinta assertio omnem vim soli fidei
tribuere videtur: nona sic uni sacrificio
cruento semel in cruce facto omnia tri-
buit,

*Argentre
collect. jud.
tom. 1. app.
p. 23. tom. 2.
p. 421. Et
seq.
Collectio eo-
rum. qui S.
Script. in
vulg. ling.
trans. damm.
edit. Paris.
2. p. p. 52.*

Sæcul. XVI
A.C. 1574.

buit, ut omnino incruentum Missæ sacrificium rejiciat: decima temerarie condemnat traditiones: undecima omnem Sacramentorum vim evertit: Duodecima adversatur Ecclesiæ doctrinæ circa Sacramentum extremæ unctionis. Decima quinta est impia, cum asserat omnes, tam laicos, quam Sacerdotes, ex præcepto Christi ad communionem Calicis obstringi.

Decima sexta est valde suspecta de hæresi negantium primatum Sancti Petri, & consequenter successorum ejus in Ecclesia.

Decima septima, & decima octava damnantur, eoquod in illis affirmetur, Patres antiquos fuisse in cælo beatos ante adventum Christi, ut proin Purgatorium tollatur. Tres sequentes, inquit Facultas, minus orthodoxe loquuntur de fide, & meritis. Vigesima secunda impugnat cultum Sanctorum, & venerationem reliquiarum: vigesima tertia firmat opinionem Calvinii asserentis baptismum esse tantum sigillum, quo certiores efficimur, & confirmamur, nos ante baptismum Sanctificatos, & justificatos esse per fidem præcedentem.

Denique sequentes cultum sacrarum Imaginum damnant, & libertatis statum evertunt.